



## **Catalogus Patrum Societatis Jesu**

**Couplet, Philippe**

**1686**

X. P. Joannes De Rocha

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

navatam aliquot annis operam rei Christianæ migravit in Metropolim Provinciæ *Pekin*, fidem late propagavit. in urbe regiâ deinde diu commoratus Imperatoris *Xun chi* Tartaro-sinici anno 11. (1655.) obiit, æt. 96. Idem Imperator in hujus exequias 300. aureos donavit, legavit item è Palatio Magnatem qui ei suo nomine parentaret : jussit quoque ejus effigiem depingi. sepultus est extra portam *Feu chim* dictam. Ab eo edita.

*Exercitium quotidianum variarum precum.*

*Methodus meditandi mysteria Rosarii, cum meditationibus Christi patientis.*

*De Anima ejusque Potentiis.*

*De morte Libellus.*

*Vita SS. Josaphati & Barlaami.*

*Litania Sanctorum.*

*De Terræ motu Tractatus.*

X. P. JOANNES DE ROCHA Lusitanus *Van lie* Imp. anno 26. (1598.) venit in Civitatem *Kiatim* Provinciæ *Nam kin*, ubi sedem & Ecclesiam inchoavit : dein perrexit in Provinciæ *Chekiam* metropolim *Ham cheu*, ubi *Tien ki* Imp. anno 3. (1623.) diem obiit. Luctum induit cum totâ familiâ

9  
familiâ Doctor *Sen* Paulus veluti pro parente suo,  
à quo scilicet fuerat per S. lavacrum Deo & cœlo  
regeneratus, sepultus est extra muros Metropolis  
in loco *Fam cin.* ab eo editus

*Cathechismus Lusitanus* (vulgò *cartilha*) ubi fuse S.

*Passio Domini & Ecclesie præcepta continentur.*

*Item de praxi recitandi Rosarium ubi explicat 5 mysteria  
dolorosa appositis imaginibus Christi patientis & crucifixi.*

XI. P. DIDACUS PANTOJA Hispanus  
*Van lie* Imp. an. 27. (1599.) Sinam ac  
deinde cum P. Mathæo Riccio aulam, ingressus  
ibidem prædicavit fidem, donec in prima gene-  
rali persecutione anno 1615. exorta, cum aliis so-  
ciis *Macaum* relegatus ibidem obiit (1618.) & se-  
pultus est. Ab eo edita.

*De origine hominis ubi de peccato originali, Diluvio, &c.*

*12 Articuli Symboli Apostolorum. 2. vol. ubi fuse de  
Passione Domini.*

*De Deo ejusque attributis.*

*De Angelis bonis, & reprobis.*

*De Passione Domini tractatus singularis.*

*De Victoriis 7. virtutum contra septem peccata capita-  
lia. 7. vol.*

C